



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 10. Ex quibus peccatum originale constitutatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

non imitatione, transfusum omnibus, inest unicuique proprium &c. Itaque juxta Synodi doctrinam, confitendum est peccatum, ab Adamo, ut morali capite generis humani commissum, sic unicum fuisse in Adamo, ut per propagationem & transfusionem fiat multiplex saltem æquivalenter & secundum moralem æstimationem; ita ut singulis, qui ab Adamo per naturalem generationem descendunt, inest, velut aliquid illis saltem æquivalenter & secundum moralem æstimationem intrinsicum & proprium, proindeque singulos intrinsicè maculet, & peccatores constituat, perinde ac si à singulis propria voluntate commissum fuisset.

Tertia sententia eorum est, qui constituunt adequatè peccatum originale in privatione originalis justitiæ. Hanc sententiam ut suam exponit Bellarminus lib. 5. de statu pecc. c. 17. his verbis: *Si quis à nobis querat, quid propriè sit originale peccatum: respondimus cum distinctione ad hunc modum. Si peccatum pro actione cum lege pugnante accipitur; peccatum originale est prima Adams inobedientia, ab ipso Adamo commissum, non ut erat singularis persona, sed ut personam totius generis humani gerebat. Si verò peccatum accipitur pro eo, quod residet in homine post actionem, & unde idem homo non peccans sed peccator nominatur; peccatum originale est carentia doni justitiæ originalis, sive habitualis aversio, & obliquitas voluntatis, quæ & macula mentem Deo invisam reddens appellari potest.*

Sed contra est: quia, cum privatio justitiæ originalis non sit culpa, sed tantum effectus & pœna culpæ, non est nec potest esse per se & ratione sui peccatum propriè dictum, seu, quod idem est, non est nec potest esse per se & ratione sui aliquid homini imputabile ad vituperium, pœnam & odium, sed solum ratione alterius; nempe culpæ, cujus est effectus & pœna; moraliter homini inherens, donec condonetur, atque cum illa constituentis totum quoddam, ad vituperium, pœnam æternam & odium imputabile, quod proinde dicatur & sit peccatum habituale, quia habitualiter hominem maculat, eumque reddit vituperio, pœna æterna & odio Dei dignum. Ergo privatio justitiæ originalis non potest esse, nisi pars peccati originalis, & consequenter illud adequatè constituere non valet.

Quarta sententia est S. Thomæ hic q. 82. a. 3. in O. ubi S. Doctor aperte constituit peccatum originale in quodam toto, resulante ex concupiscentia, velut parte materiali, & privatione justitiæ originalis, velut parte formali. Privatio, inquit, justitiæ originalis, per quam voluntas subdebetur Deo, est formale in peccato originali: omnis autem alia inordinatio virum anime se habet in peccato originali, sicut quiddam materiale: inordinatio autem aliarum virium anime præcipue in hoc attenditur, quod inordinate convertuntur ad bonum commutabile: quæ quidem inordinatio communi nomine potest dici concupiscentia. Et ita peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter verò est defectus originalis justitiæ. Sed contra hanc sententiam valet, quod diximus contra præcedentem. Unde videtur nobis privationem justitiæ originalis non minus ad peccati originalis materiale pertinere, quam ipsam concupiscentiam.

Quinta sententia, quæ est multorum recentiorum, peccatum originale adequatè constituit in peccato illo, quod Adamus, ut personam generis humani gerens, admisit, quodque ita fuit unicum formaliter, ut fuerit multiplex æquivalenter, & totuplex secundum moralem æstimationem, quot ab Adamo descendenti erant per generationem naturalem: unde unicuique nostrum ab ipso puncto animationis secundum moralem æstimationem inest intrinsicum & proprium, proindeque unumquemque nostrum ab ipso puncto animationis constituit intrinsicè moraliter peccatorem, odibilem Deo, & æterna damnatione dignum, donec per baptismum condonetur. Quantum verò attinet ad privationem justitiæ originalis & concupiscentiam docet hæc sententia utramque habere tantum rationem pœnæ, non autem peccati, nisi improprie.

Simonæ Theol. Tom. I.

Huic sententiæ non aliud habemus opponendum, quam quod ex parte adversetur S. Augustino, negando scilicet concupiscentiam pertinere ad constitutivum peccati originalis. Nam

Sexta sententia est S. Augustini constituentis peccatum originale in concupiscentia, ut nobis à primo instanti conceptionis ad vituperium, odium & supplicium æternum imputabili, non per se præcisè, sed per reatum ab ea distinctum & separabilem, qui proinde per baptismum tolli potest, ea manente, & quo per baptismum sublato, desinit esse nobis imputabilis, sicque desinit esse peccatum, propriè scilicet: adhuc enim potest improprie appellari peccatum, quod sit reatu primi hominis facta, & quod rebelando nos trahere nititur ad reatum, ut dicit S. Doctor lib. 2. contra Julianum circa medium epilogi. Sed ut S. Doctoris sententiam exponamus, & modo loquendi Scholarum accommodemus, sit

ARTICULUS X.

Ex quibus peccatum originale constituitur.

NOta 1. Juxta mentem S. Augustini, peccatum, & quidem propriè, duobus modis accipitur. 1. Pro eo, quod est per se & ratione sui imputabile ad vituperium & pœnam. 2. Pro eo, quod est imputabile ad vituperium & pœnam ratione alterius, cujus est effectus. Primo modo peccatum est omnis & sola transgressio libera legis, sive omnis & sola actio, vel quasi actio humana legi contraria, quandiu scilicet non condonatur. Secundo modo peccatum est v. g. privatio gratiæ sanctificantis in adulto, qui mortalem culpam admisit: nam hæc privatio non solum maculat illum, sed etiam illi ad vituperium, odium Dei & pœnam æternam imputabilis est propter gravem legis transgressionem, cujus est effectus; imputabilis, inquam, est, quandiu transgressio illa non condonatur. Tandiu enim ex natura rei anima odio Dei, vituperio & pœna digna est, quod sua culpa careat ornatu & pulcritudine sibi debita in statu elevationis in quo est.

Nota 2. Peccatum habituale intrinsicè complectitur illud totum, quod, actu peccati physice præterito, maculat hominem, ipsique imputabile est ad vituperium, odium & pœnam æternam. Quid enim est homo peccator, nisi homo propter actum peccati physice præteritum, & non condonatum, fœdatus, & dignus odio, vituperio & pœna æterna? Homo autem, qui peccavit, fœdus est, & dignus odio, &c. non solum per actum peccati physice præteritum, & moraliter in eo permanentem, donec condonetur; sed etiam per aliquid aliud, quod est effectus actus peccati, puta per privationem gratiæ sanctificantis, ut patet ex dictis not. 1. Peccatum igitur habituale intrinsicè complectitur non solum actum peccati moraliter in homine permanentem, donec condonetur; sed etiam aliquid aliud, puta privationem gratiæ sanctificantis. Igitur peccatum habituale intrinsicè complectitur non solum aliquid, quod per se & ratione sui imputabile est, sed etiam aliquid, quod imputabile est ratione alterius, cujus est effectus, & sic intrinsicè complectitur non solum aliquid, quod est peccatum propriè per se & ratione sui, sed etiam aliquid, quod etiam peccatum est propriè, sed ratione alterius, cujus est effectus. Igitur in peccato habituali aliquid se habet per modum partis formalis, nempe illud quod est per se & ratione sui peccatum, quia per se & ratione sui imputabile est; & aliquid, quod se habet per modum partis materialis, quod peccatum est ratione alterius, quia imputabile non est, nisi ratione alterius, cujus est effectus, & quocum, quandiu moraliter permanet, intrinsicè constituit totum illud, quod dicitur & est peccatum habituale; quia hominem, qui peccavit, maculat, & obnoxium facit odio Dei, vituperio & æterno supplicio.

Nota 3. Peccatum originale est quoddam peccatum habituale. Nam est peccatum propriè. Ergo vel est peccatum actuale, vel habituale. Non primum.

Gg in-

infantes enim, qui concipiuntur & nascuntur cum peccato originali, eoque tenentur obstricti donec baptizentur, incapaces sunt peccati actualis. Superest igitur ut peccatum originale sit quoddam habituale peccatum, hoc est, aliquid, quo ab originale habitualiter maculamur, & reddimur digni odio Dei, vituperio & poena aeterna. Hinc peccatum originale intrinsecè complectitur illud omne, quod hominem originaliter maculat, eique imputabile est ad odium, vituperium & supplicium aeternum, donec baptizetur. Hinc peccatum originale intrinsecè complectitur non solum aliquid, quod homini per se & ratione sui imputabile est; sed etiam aliquid, quod ei imputabile est ratione alterius, quod scilicet imputabile est per se & ratione sui. Hinc peccatum originale intrinsecè complectitur & aliquid, quod se habet per modum partis formalis, quia est per se & ratione sui peccatum; & aliquid, quod se habet tantum per modum partis materialis, quia peccatum est, non per se & ratione sui, sed tantum ratione alterius, à quo proinde completur in esse peccati originalis.

Nota 4. Peccatum actuale, quantumvis physicè prætereat, ex natura rei, donec condonetur, in ordine ad maculandum hominem, eumque dignum odio Dei, vituperatione & poena aeterna reddendum, perinde se habet secundum moralem aestimationem, ac si physicè existeret: unde dicitur in ordine ad effectus illos morales præstandos moraliter permanere in homine, donec condonetur. Hoc proculdubio docet S. Augustinus lib. 1. de nupt. c. 26. his verbis: *Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati. Nam si quisquam, verbis gratia, fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum, quamvis illud, quod admisit, jam non sit, quia cum tempore, quo factum est, præterit. Nam si à peccando desistere, hoc esset non habere peccatum, sufficeret ut hoc nos moneret Scriptura: Fili, peccasti, non adjicias iterum; non autem sufficit, sed addidit: Et de pristinis deprecare, ut tibi remittantur. Manent ergo, nisi remittantur; sed quomodo manent, si præterita sunt, nisi quia præterierunt actu, manent reatu? Quid autem aliud est, peccatum actuale actu præterire, & remanere reatu, quam peccatum actuale ita physicè præterire, ut, donec condonetur, in ordine ad reddendum hominem reum, proindeque illum maculandum, & odio Dei, vituperio & poena dignum efficiendum, perinde se habeat in aestimatione morali, ac si physicè maneret. Agnovit igitur S. Augustinus peccati actualis physicè prætereuntis moralem permanentiam in ordine ad dictos effectus præstandos, quandiu non condonatur, qualem nos defendimus.*

Nota 5. Peccatum actuale, ab Adamo, ut capite morali generis humani, commissum, omnium ejus posterorum, qui ab eo naturaliter descensuri erant, actuale peccatum fuit, non quidem formaliter; tunc enim non fuerunt, ut illud propria voluntate admitterent; sed, quod sufficit, æquivalenter & moraliter; quia voluntas Adam quoad hoc fuit æquivalenter & moraliter eorum voluntas. Hoc docet S. Augustinus pluribus locis. Unus esto pro omnibus. Unde nec illud liquè dici potest, inquit lib. 3. de pecc. mer. c. 7. quod peccatum Ada etiam non peccantibus nocuit, cum Scriptura dicat: In quo omnes peccaverunt. Nec sic dicuntur ista aliena peccata, tanquam omnino ad parvulos non pertineant: siquidem in Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura illa insita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt; sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias; sed quicquid erat in futura propagine, vitamini hominis continebat. Igitur in doctrina S. Augustini peccatum Adæ ita præterit actu, ut maneat reatu in posteris ejus naturaliter ab eo descendentibus, donec illis indulgentia remittatur per baptismum; id est, quandiu nobis per baptismum non condonatur, unicuique nostrum secundum moralem aestimationem à primo instanti existentiae nostrae inest intrinsecum &

proprium in ordine ad præstandos illos effectus, quos præstaret, si re ipsa in nobis hypsicè & actu existeret, proindeque ad maculandum unumquemque nostrum, eumque odio Dei, vituperio & aeterna damnatione dignum reddendum.

Nota 6. Concupiscentia est effectus & poena peccati, à nobis Adam voluntate commissi. Nam propter hoc peccatum privati sumus justitia originali, quam originalis justitiae privationem proximè & immediatè sequitur habitualis rebellio appetitus materialis contra rationem. In hac autem rebellionem consistit concupiscentia, quæ, ut superius dictum est, aliud non est, quam vitium illud appetitus materialis, quo habitualiter propendimus ad bona sensibilia contra rationis ordinem. Concupiscentia igitur nobis voluntaria fuit in peccato illo, quod Adam voluntate commissimus, & de nobis verum est dicere, quod ob gravem aliquam nostram culpam careamus subjectione partis inferioris, & habituales rebellionem appetitus materialis contra rationem contraxerimus. His omnibus præsuppositis, sit

RESPONSIO I.

Peccatum originale est totum quoddam resultans ex peccato, à nobis Adam voluntate commissio, privatione originalis justitiae & concupiscentia.

Prob. Peccatum originale intrinsecè complectitur illud omne, quo à primo instanti existentiae nostrae intrinsecè maculamur, nobisque ad odium, vituperationem & supplicium aeternum imputabile est. Patet ex not. 2. & 3. Atqui tria illa à primo instanti existentiae nostrae maculant nos intrinsecè, nobisque imputabilia sunt, &c. Ergo, &c.

Prob. min. pro peccato, à nobis Adam voluntate commissio. Nam 1. ut patet ex not. 4. & 5. cum fuerit æquivalenter nostrum peccatum actuale, nobis à primo instanti existentiae nostrae moraliter inest unicuique intrinsecum & proprium. Ergo non potest non maculare nos intrinsecè. 2. Peccatum, etiam postquam actu præterit, tandiu imputabile est homini ad odium, vituperium & supplicium aeternum, quandiu non condonatur, ut docet S. Augustinus, & patet ex dictis not. 4. & 5. Atqui peccatum, à nobis Adam voluntate commissum, fuit peccatum mortale, ut fide constat. Ergo nobis à primo instanti existentiae nostrae, & deinceps, donec per baptismum condonetur, imputabile est ad odium, &c. V. not. 4. & 5.

Prob. min. pro privatione justitiae originalis. Et 1. quidem quod maculet nos intrinsecè, sic ostenditur. Privatio justitiae originalis est privatio subjectionis carnis ad mentem, & mentis ad Deum: utramque enim hanc subjectionem includit originalis justitia. Atqui utraque privatio est macula intrinseca: nam utraque est privatio pulcritudinis debitæ in statu elevationis, & utriusque homo subiectum est; cum idem sit forma & privationis formæ subiectum.

2. Privatio justitiae originalis nobis imputabilis est ad odium, vituperium & supplicium aeternum, donec scilicet peccatum, à nobis in Adam commissum, nobis condonetur. Deus enim potest hominem non solum vituperare, sed etiam odisse, & consequenter aeterno supplicio velle addicere, quod aliqua sua gravi culpa gravissimam deformitatem, qualis est privatio originalis justitiae, contraxerit, quandiu ipse culpam illam non condonat liberaliter.

Prob. denique min. pro concupiscentia. Nam 1. habitualis rebellio carnis contra spiritum, in qua consistit concupiscentia, est gravis quaedam deformitas & turpitudine in carne, ac proinde gravis est macula. 2. Quod gravi nostra culpa gravem illam turpitudinem & deformitatem contraxerimus, graviter culpabiles sumus apud Deum, donec gravis hæc culpa nobis indulgentia remittatur. Ergo tandiu, quod idem est, gravis illa deformitas & turpitudine nobis à Deo imputari potest ad odium, &c.

RESPONSIO II.

In toto illo, quod constituit peccatum originale, peccatum à nobis in Adamo commissum, se habet per modum partis formalis; privatio verò iustitiæ originalis cum concupiscentia per modum partis materialis.

Prob. Quia in peccato originali illud se habet per modum partis formalis, quod est per se & ratione sui culpabile & imputabile: illud verò se habet per modum partis materialis tantum, quod non est culpabile & imputabile, nisi ratione alterius. Atqui peccatum, à nobis in Adamo commissum, per se & ratione sui culpabile est & imputabile, cum fuerit legis divinæ transgressio: privatio verò originalis iustitiæ & concupiscentia non sunt culpabiles & imputabiles, nisi ratione alterius; non enim sunt culpabiles & imputabiles, nisi quia sunt effectus liberæ transgressionis legis divinæ: neque infans nondum regeneratus, culpabilis est, & odio Dei ac damnationi obnoxius, quia præcisè caret iustitia originali, & habitualement habet rebellionem carnis adversus spiritum; sed quia caret iustitia originali, & habet habitualement carnis adversus spiritum rebellionem propter gravem divinæ legis transgressionem, non sua quidem, sed Adami voluntate factam. Ergo, &c.

Obj. 1. Peccatum originale est aliquid nobis adæquatè intrinsecum. Atqui peccatum in Adamo commissum, non est nobis intrinsecum. Ergo, &c. *R. dist. maj.* Peccatum originale est aliquid nobis adæquatè intrinsecum partim physicè, partim moraliter, *C. maj.* Physicè tantum, *N. maj.* Atqui peccatum in Adamo commissum, non est nobis intrinsecum physicè, *C. min.* nam non existit ampliùs physicè. Non est nobis intrinsecum moraliter, donec scilicet per baptismum condonetur, *N. min.* nam unicuique nostrum secundum morealem affirmationem inest à primo instanti existentiae nostræ & deinceps, donec condonetur; proindeque, donec condonetur, potest nos intrinsecè constituere reos, odibiles Deo, & æterna pœna dignos.

Dices. Peccatum in Adamo commissum, commune est omnibus Adami posteris. Ergo non est unicuique proprium. *R. neg. conseq.* Nam hoc peccatum & commune est omnibus, & singulis proprium. Commune est omnibus, quia relatè ad præceptum de non comedendo fructu arboris scientiæ, voluntas Adami fuit æqualiter omnium voluntas: unde omnes æqualiter Adami voluntate præceptum illud transgressi sunt. Est etiam singulis proprium, quia unumquemque perinde maculat, & peccatorem constituit, ac si ab eo solo commissum fuisset: unde tot remissionibus indiget, quot sunt homines, ab Adamo naturaliter descendentes.

Obj. 2. Si peccatum originale, præter peccatum in Adamo commissum, includit privationem iustitiæ originalis, & concupiscentiam, per baptismum non tollitur totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet. *Conf. repugnat Tridentino sess. 5. can. 5. Ergo, &c. R. neg. seq. maj.* Nam post baptismum in regenerato nihil superest ex peccato originali, quod veram & propriam peccati rationem habeat. Unde per baptismum totum illud, in quo peccatum originale consistit, tollitur, & desinit simpliciter. Ratio est, quia per baptismum tollitur tota culpabilitas & imputabilitas peccati originalis, qua sublata, repugnat manere peccatum originale, etiam ex parte.

Dices. Post baptismum remanet privatio iustitiæ originalis. Item remanet concupiscentia. Ergo ex parte remanet peccatum originale. *R. dist. ant.* Post baptismum remanet privatio iustitiæ originalis, sumptæ secundum subjectionem mentis ad Deum, *N. ant.* nam hæc subiectio restituitur per infusionem gratiæ sanctificantis. Remanet privatio iustitiæ originalis, sumptæ secundum subjectionem carnis ad mentem, *subdist.* Remanet in ratione peccati propriè, *N. iterum ant.* non enim remanet ampliùs in ratione culpabilis & imputabilis. Remanet in ratione pu-

Simonne Theol. Tom. 1.

ræ privationis doni supernaturalis & pulcritudinis homini debitæ in statu elevationis, vel, si vis, remanet in ratione puræ pœnæ, & effectus peccati condonati, *C. ant.*

Similiter, post baptismum remanet concupiscentia in ratione peccati propriè, *N. ant.* nam concupiscentia post baptismum non remanet ampliùs in ratione culpabilis & imputabilis. Remanet concupiscentia in ratione deformitatis, languoris & infirmitatis tantum, vel, si vis, in ratione puræ pœnæ, & effectus peccati condonati, *C. ant. & N. conseq.* Ante baptismum concupiscentia est deformitas, languor, infirmitas culpabilis, & nobis imputabilis ad vituperium, odium & pœnam: unde ante baptismum habet veram & propriam rationem peccati: post baptismum verò est tantum deformitas, languor, infirmitas; unde post baptismum non habet ampliùs veram & propriam peccati rationem; quanquam adhuc peccatum impropriè dici potest & dicitur, quia & peccato facta est, & ad peccandum inducit.

Dices. Secundum nos, post baptismum remanet pars materialis peccati originalis. Ergo post baptismum ex parte remanet peccatum originale. *R. neg. ant.* Aliud enim est, manere partem materialem peccati originalis, & aliud, manere id quod fuit pars materialis peccati originalis. Secundum nos autem, post baptismum manet id, quod fuit pars materialis peccati originalis, nempe concupiscentia, at non manet pars materialis peccati originalis; quia licet maneat concupiscentia, non manet tamen in ratione partis materialis peccati originalis: eatenus enim ante baptismum erat pars materialis peccati originalis, quatenus culpabilis erat, ac nobis imputabilis ratione peccati Adæ, in nobis moraliter existentis; & ab illo veluti informata atque determinata, cum illo constitueretur totum illud, per quod eramus habitualiter odibiles Deo, & æterna damnatione digni. Post baptismum igitur, per quem peccatum Adæ nobis remissum est, non est ampliùs pars materialis peccati originalis; cum non sit ampliùs nobis imputabilis ratione peccati Adæ, quod iam in ordine ad imputabilitatem, ad odium & pœnam æternam, perinde se habet, ac si nunquam fuisset, & idcirco neque cum illo totum illud, per quod eramus habitualiter odibiles Deo, & æterna damnatione digni, constituit, aut etiam constituere potest ampliùs.

Dices. Si peccatum originale præter peccatum Adæ includit concupiscentiam, peccatum originale non est æquale in omnibus, sed in aliis majus, & in aliis minus; cum concupiscentia in aliis major, & in aliis minor sit. Absurdum *conf. Ergo, &c. R. neg. seq. maj.* Itaque peccatum originale in ratione peccati æquale est in omnibus. Ratio est, quia tota culpabilitas & imputabilitas in peccato originali, est à peccato Adæ, in non renatis moraliter existente; neque privatio iustitiæ originalis & concupiscentia aliam habent culpabilitatem & imputabilitatem in non renatis, quam culpabilitatem & imputabilitatem peccati Adæ, inhærentis moraliter non renatis. Unde cum peccatum Adæ sit omnibus æqualiter imputabile, peccatum originale in ratione peccati æquale esse in omnibus necesse est; quamvis concupiscentia in aliis major, & in aliis minor sit; quia nimirum non uni magis, & alteri minus, sed omnibus æqualiter imputatur.

Dices. Gratis dicitur, ante baptismum non aliam concupiscentiam, & aliam peccati in Adamo commissi imputabilitatem esse. *R. neg.* Cum enim concupiscentia etiam ante baptismum non sit imputabilis per se & ratione sui, sed tantum ratione alterius, nempe peccati in Adamo commissi, quod per se & ratione sui imputabile est, una & eadem est ante baptismum concupiscentia & peccati in Adamo commissi imputabilitas. Hinc condonari non potest per baptismum peccatum in Adamo commissum, quia simul & indivisibiliter condonetur concupiscentia; & concupiscentiam condonari per baptismum, in re nihil aliud est, quam per baptismum condonari peccatum in Adamo commissum; quia tolli non potest imputabilitas peccati in Adamo commissi, quin

Ee 2 simul

simul & indivisibiliter tollatur imputabilitas concupiscentiae; & tolli imputabilitatem concupiscentiae, in re nihil aliud est, quam tolli imputabilitatem peccati in Adamo commissi.

Dices. Si concupiscentia non habet propriam imputabilitatem ante baptismum, ante baptismum non est peccatum propriè. R. dist. seq. Non est peccatum propriè per se & ratione sui, C. seq. Non est peccatum propriè ratione alterius, nempe ratione peccati in Adamo commissi, & in unoquoque nostrum moraliter manentis, donec per baptismum deleatur, N. seq. Vide not. 1.

ARTICULUS XI.

Virum parvuli, sine baptismo morientes, beatitudine aliqua fruturi sint in altera vita.

Circa statum parvulorum, qui moriuntur sine baptismo, variae sunt sententiae. Prima promittit illis regnum caelorum, contra expressum Christi testimonium Joan. cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ita sensit olim quidam nomine Vincentius, ut refert S. Augustinus lib. 1. de anima & ejus orig. cap. 9. ubi de dicto Vincentio sic loquitur: *De illis parvulis, qui morte praeventiuntur, priusquam baptizentur in Christo, cum respondere voluisset, ausus est eis promittere non solum paradisum, verum etiam regnum caelorum.* Hanc sententiam tenet Zuinglius, ut probabilem de filiis infidelium, & ut certam de fidelium parvulis, quod secundum amplectuntur Calvinus, Bucerus, & alii sectarii.

Secunda excludit quidem parvulos sine baptismo mortuos, à regno caelorum, & vitam beatam sanctis promissa, sed eis tribuit vitam aeternam, & naturalem beatitudinem, absque ullo dolore vel molestia, procul à regno caelorum, & damnatorum carcere. Ita senserunt Pelagiani, ut testatur S. Augustinus lib. de haer. cap. 88. ubi de Pelagianis loquens, sic ait: *Nam etiam si non baptizentur (parvuli,) promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen aeternam & beatam quandam vitam suam.* Per hanc autem aeternam & beatam vitam, non intelligebant Pelagiani supernaturalem, quae in intuitiva Dei visione consistit, sed naturalem beatitudinem: non enim parvulis sine baptismo morientibus promittebant vitam aeternam simpliciter, sed solum quandam suam vitam aeternam. Hanc opinionem Augustinus Pelagianam haeresim appellat, lib. 1. de anima & ejus orig. c. 9.

Tertia sententia docet parvulos sine baptismo decedentes, aeterna morte plecti in inferis, sed ita puniri poena damni, quae in privatione visionis beatificae consistit, ut nullum sive internum sive externum dolorem patiantur. Ita docet S. Thomas q. 5. de malo a. 1. 2. & 3. & cum eo aliquot alii Scholastici in 2. sent. dist. 33.

Quarta sententia docet parvulos sine baptismo mortuos, non solum puniendos esse poena damni, sed etiam internum animi dolorem ex privatione beatitudinis aeternae percepturos; immunes tamen fore à poena sensus, quae in cruciatu ignis & vermis posita est. Ita magister Sent. lib. 2. sentent. dist. 33. & cum eo alii.

Quinta sententia parvulos raptos ante baptismum, docet in inferis propter peccatum originale utraque poena, damni scilicet & sensus, in aeternum cruciandos. Hanc sententiam S. Augustini & aliorum Patrum sententiam esse probat Gregorius Ariminensis in 2. sent. dist. 33. qu. 3. & cum eo alii scholastici Doctores, quos recenset Cardinalis Norisius in Iudiciis Augustinianis cap. 3. §. 5. In hac sententia re ipsa fuisse videntur Patres Latini post exortam Pelagianam haeresim, ut infra exponetur. Interea sit ad propositam quaestionem,

RESPONSIO.

Parvuli, qui moriuntur sine baptismo, post hanc vitam neque supernaturalem neque naturali beatitudine fruuntur.

Et 1. quidem quod non fruuntur beatitudine supernaturali, prob. ex verbis Christi Joan. cap. 3. *Nisi quis, inquit, renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde sic argumentor. Nemo fruatur est beatitudine supernaturali, nisi in regno caelorum: caelum enim est beatorum sedes, ut est in confesso apud omnes tam heterodoxos, quam orthodoxos. Ergo qui in aeternum à regno caelorum excludendi sunt, in aeternum excludendi sunt à supernaturali beatitudine. Atqui parvuli sine baptismo mortui, à regno caelorum in aeternum excluduntur; nam nisi quis per baptismum Christi ante mortem regeneratus fuerit, non potest introire in regnum Dei, quod est regnum caelorum. Ergo parvuli sine baptismo mortui, in aeternum excluduntur à beatitudine supernaturali.

2. Quod parvuli, qui moriuntur sine baptismo, post hanc vitam non fruuntur beatitudine naturali, prob. Qui in aeternum damnandi sunt, nulla prorsus beatitudine fruturi sunt. Sed parvuli sine baptismo morientes, in aeternum damnandi sunt. Ergo nulla prorsus fruturi sunt beatitudine. Major patet. Cum enim aeterna damnatio sit maxima miseria, damnatum aliqua frui beatitudine repugnat. Prob. itaque min. 1. Ex Conc. Carthag. in epil. apud Augustinum 90. *Quicumque, inquit, negat parvulos per baptismum Christi à perditione liberari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit.* At si parvuli non nisi per baptismum Christi liberantur à perditione, certe eos perire seu dampari in aeternum, necesse est, nisi ante mortem baptizentur. Ex S. Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap. 27. *Nullatenus dubites... parvulos, qui... sine Sacramento sancti baptismatis... de hoc seculo transeunt, ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos.* Et ex S. Anselmo lib. de conceptu virginali cap. 27. *Si... originale peccatum, inquit, est aliquod peccatum, necesse est omnem hominem in eo natum, illo non dimisso, damnari.* Ergo, &c.

Prob. 2. eadem min. hoc ratiocinio. Post hanc vitam non datur medium inter coelestem beatitudinem, & aeternam damnationem. Atqui parvuli sine baptismo morientes, in aeternum excluduntur à coelesti beatitudine. Ergo aeterna damnatione tenentur obstricti. Min. probata est ex verbis Christi. Prob. maj. ex Augustino. Nam sic loquitur lib. 1. de pecc. mer. cap. 28. *Nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo.* Et ferm. 14. de verbis Apostoli: *Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis & mortuis iudicabitur, alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram, non novi aliud... Si ergo dextera erit & sinistra, & nullum medium locum in Evangelio novimus, ecce in dextera regnum caelorum est. Percipite, inquit, regnum. Qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra? Ite in ignem aeternum.* Et lib. 1. de anima & ejus orig. cap. 9. *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque caelorum, quietis vel sollicitatis cuiuslibet, atque ubilibet quasi medium locum: hoc enim eis haeresis Pelagiana promittit.*

Prob. 3. eadem min. Illi sunt in aeternum damnandi, qui in carcere inferni includuntur in aeternum. Atqui parvuli sine baptismo mortui, in aeternum includuntur in carcere inferni. Ergo, &c. Maj. patet; cum carcer inferni sit locus omnium & solum damnatorum. Prob. min. 1. Ex Script. Nam in Apoc. c. 20. dicitur: *Qui non inventus est in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis.* Atqui parvuli sine baptismo mortui, non sunt in libro vitae scripti. Ergo, &c. 2. Ex Conc. Flor. sess. ult. ubi dicitur: *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.* 3. Ex Augustino locis laudatis, in quibus expresse asserit nullum fore locum medium caelos intrer & infer-